

1.11.39.

V  
2036

AD  
**IVSTA FVNEBRIA**  
SERENISSIMIS ET POTENTISSIMIS PRINCIPIBVS,  
AC DOMINIS,  
**DOMINO**  
**FRIDERICO AUGUSTO III,**  
REGI POLONIAE, ET ELECTORI SAXONIAE,  
RELIQVA  
ET  
**DOMINO**  
**FRIDERICO CHRISTIANO,**  
PRINCIPI REG. POL. ET ELECTORI SAXONIAE,  
RELIQVA  
**PATRIBVS PATRIAE NOSTRAE**  
**INDVLGENTISSIMIS,**  
**IN CVRIA SENATORIA NOVAE VRBIS**  
**AD DRESDAM**  
A. D. XIII. FEBRVARII CCCLXIII. HORA II.  
GRATISSIMO ANIMO PERSOLVENDA,  
**PATRONOS ET FAVTORES**  
PRAEMISSA  
DE PATRIBVS PATRIAE, PROLVSIONE,  
HUMANISSIME ET PEROFFICIOSE  
INVITAT  
**M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIUS,**  
RECTOR.

FRIDRICOSTADII,  
EX TYPOGRAPHEO HAGENMULLERI.



**S**i quod unquam nomen fuit, quod dulcedine præstantiaque sua, tam antiquiori quam recentiori aetati magnopere se commendaret, & unde in Deos pariter ac homines, eo insignitos, singularis quidam honor & voluptas redundare putaretur; nulla dubitatione relictâ, fuit amabile illud omnibusque venerandum Patris nomen. Cujus tanta vis atque potestas est, ut omne genus honoris, laudemque pietatis, amoris, clementiae, curae, fidei, omniumque fere virtutum complectatur. Quo factum est, ut omnes fere gentes, hujus nominis suavitate præstantiaque captae, Deos, quos singulare quodam pietatis cultu prosequendos, & ob beneficia, in genus humana collata, præcipuo honore dignos judicabant, Patrum appellatione salutarent. In primis autem Graeci & Romani illius nominis honorem Jovi attribuerunt, cumque Deorum hominumque Patrem dixerunt, adeo, ut etiam ab ipso fratre Neptuno eo nomine ornaretur. Nihil attinet loca, quae se cuique in legendis veterum monumentis sexcenta offerunt, facienda fidei ergo, hic cumulare, sed sufficiat ex innumeris fere pauca tantum laudasse. Ex Homero, quem fere omnes, in quoconque dicendi genere scripserint, imitati sunt, discimus, Neptunum ipsum, ut jam monui, Jovem dixisse Patrem, Odyss. Lib. XIII. v. 128. & Hesiodus, vir perelegans ingenii, & mollissima dulcedine carminum memorabilis, ut tempore Homero, ita operis auctoritate proximus, de Jove loquens, saepè dixit, πατήρ ἀνδρῶν τε θεῶντες: Callimachus, qui præstantissimi suis hymnis, præcipua Deorum recenset facta nominaque, in hymno, Jovis in honorem scripto, eum alloquitur v. 95. χαῖρε πάτερ: Sophocles & alii Tragici saepè dicunt, Ω Ζεῦ πάτερ παντελές πάντως, ὅταν ἀπάντων Ζεὺς πατήῃ. In quo Romani, uti in aliis, ita etiam in hac re imitati sunt Graecos. Hinc Virgilius de Jove, Georg. Lib. I. v. 283. Ter Pater, instructos disjecit fulmina montes; & Horatius Lib. I. od. 12. Quid prius dicam solitis parentis laudibus. Neque tamen illa Patris appellatio Jovi remansit propria, sed ut bene monuit Servius ad Virgilium Georg. Lib. II. v. 4. deinde venit ad Bacchum, seu Liberum Patrem. Nihil dicam hoc tempore de ista Patris appellatione, qua divino spiritu inflati scriptores utriusque foederis nobis eum designare solent, cui καὶ ξένον ea debetur, tum ratione aeterni filii, tum omnium piorum, quin omnium omnino hominum, qui que Ipse Patris cognomine delectari quodammodo yisus, quo magis perspicuae fuerint hominibus quaedam divinae virtutes, eo usus est. Quid? quod Ipse Christus nobis auctor svalorque est, ut si preces nostras DEO gratias reddere velimus, eum amabili Patris nomine invocemus. Neque minus haec Patris denominatio inter homines tam familiaris omni tempore fuit, ut non solum eos ita dicerent, quos necessitas, verum eriam, ut cum Phaedro, præstantissimo illo vita morumque doctore loquar, quos bonitas redderet parentes. In quorum numero haud ultimum sibi vindicant locum Reges & Principes, justitiam coientes, commodis civium consilentes, & cum iis eadem ratione ac parentes cum liberis viventes. Quare dubitatio non est, quin Graeci & Romani, viros de Republica bene meritos, principes, reges, & imperatores, jure meritoque dixerint Patres Patriae. De qua appellatione, juvat hac prolusione, memoriae duorum Patrum Patriae consecrata, nonnulla in medium attulisse.

Quamquam inter Romanos, ab urbe flatim condita, nunquam defuerunt viri, qui paterno amore, populum foverent & defendenter, nulli tamen eorum, quantum mihi quidem confat, libera Republica, contigit esse tam felici, ut decreto Senatus, voluntate Populi Romani, Patris Patriae nomine insigniretur, nisi Ciceroni Consuli, cum indeferso studio, cura ac vigilantia, detestandam Catilinae conjurationem, non minori prudentia detexisset, quam fortitudine discussisset. Romulus quidem tam a Floro, quam a Virgilio Pater vocatur ob urbem conditam, ipseque Senatores Patrum nomine insignivit, ut paterna cura & amore complectenterunt cives, & hi rursus Senatores parentum modo observarent: nec non Camillus de Gallis triumphans a militibus inter jocos haud vanis laudibus, alter Romulus, Pater Patriae, Conditorque urbis dictus est: neuter tamen horum tam solemnis modo, ex decreto Senatus, uti Cicero, referente Appiano, de bello civili Lib. II. p. 432. Patris Patriae nomen accepit. Quum enim Cicero suis consiliis, suis laboribus, sui capitum periculo, fine tumultu, incendio urbem, internecione cives, vasilitate Italiam, interitu Rempublicam, Nonis Decembribus sui Consulatus, qui incidit in annum A. C. N. LXIII. liberasset, eoque die ad versperam per forum se domum reciperet, omnes eum, quoconque accederet, vocibus & plausu excipiebant, & servatorem, Patremque Patriae appellabant. Praeterea Ciceronem Q. Catulus, princeps Senatus, nec non multi alii, ut ipse testatur pro Sextio, saepè in frequentissimo Senatu, Patrem Patriae vocarunt. Audiamus modo laudatum Appianum; Cum Cato, inquit, Ciceronem Patrem Patriae appellasset, populus acclamavit; aque, ut quibusdam placet, haec appellatio, primum Ciceroni tributa, inde ad Imperatores venit. Neque minus id confirmat Juvenalis, acerrimus morum suae aetatis censor: Roma parentem, Roma Patrem Patria Ciceronem libera dixit. Sat. 8. Praetermittam Plutarchum in vita Ciceronis de hac re multa disputantem, nec non Plinium, in Hist. Natur. Lib. VII. c. 10. Ciceronem ita alloquuntur: Salve, primus omnium Paren's Patriae appellate: pergam potius ad Imperatores, quibus quidem non

non omnibus, plurimis tamen, aliis jure, aliis adulatione, honor hujus appellationis habitus est. Re-  
cte enim adnotavit, modo laudatus Appianus, non omnes Imperatores, nec statim initio imperii di-  
ctos esse Patres Patriae, sed bonos tantum, atque illud nomen fuisse decretum, velut perfectum ma-  
ximarum rerum ab iis gestarum testimonium. Hinc saepe difficile dictu est, quo anno huic vel illi  
Caesari nomen Patris Patriae datum fuerit. Quod ad Julium Caesarem attinet, a quo nonnulli  
cum Suetonio historiam incipiunt caesaream, plurimi quidem existimant, eum hoc nomen post mor-  
tem demum esse consecutum; Illius tamen Spanhemius differt. duodecima de usu & praefantia  
numismatum, num VII. contendit, eo tempore illud cognomen non repertum sed renouatum esse. Ne-  
que minus de tempore, quo Augusto, Optimo Principi, cui auctore Seneca de Clem. I. 10. nomen  
Parentis bene conuenit, primo hoc cognomen est tributum, viri doctissimi in varias easque valde  
diuersas abeunt sententias. Sunt qui putent, illud ei esse concessum, A. V. C. 725. alii cum Casaubono A.  
V. C. 758. ex sententia vero Spanhemii A. V. C. 752. Nonis Februariis, de quibus Ouidius Fast. L.  
II. v. 127. dixit, Sancte Pater Patriae, Tibi Plebs, tibi Curia nomen hoc dedit, hoc dedimus, nos tibi no-  
men Eques. Ex Suetonio constat, hoc cognomen universos repentina maximoque consensu ei detu-  
lisse, primo quidem legatione Antium missa, deinde ineunti Romae spectacula, denique in curia per  
Valerium Messallam, eique illum lacrimantem respondisse: compos factus votorum meorum, P. C.  
quid habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitae  
finem mihi perferre liceat? Et hunc quidem honoris titulum, non sub auspicio Imperii sui eum  
acepisse, vel ex uno Ouidii loco dilucide patet, Fast. Lib. II. v. 129. Res tamen ante dedit: Sero quo-  
que vera tulisti nomina, jam pridem tu Pater Vrbis eras. Ad reliquos Imperatores quod attinet, qui Pa-  
tres Patriae dicti sunt, & nimis longum & fere supervacaneum foret, multis docere, quo tempore,  
jure, quibusque artibus hoc amabile Patris Patriae cognomen sint consecuti, cum loca Suetonii ali-  
orumque hue spectantia tam clara sint, ut nulla interpretationis luce indigere videantur.

In causis autem investigandis, quibus Romani commoti, viris de Republica bene meritis,  
Principibus & Imperatoribus titulum Patrum Patriæ attribuerint, plerasque ita esse comparatas in-  
telligimus, ut cum ab unoquoque facile perspici possint, non sit, quod in iis recensendis multi  
simus. Quis enim, vel me tacente, non ipse videt, hoc cognomen fuisse titulum non potestatis,  
sed honoris tantum, quo omnes eo ornati admonerentur, vt ciues sua potestati subjectos, pater-  
no amplectentur animo. Itaque Seneca de Clementia Lib. I. hunc honoris titulum ita interpre-  
tatus est: Patrem quidem Patriæ appellamus, inquit, principem, vt sciat datam sibi potestatem pa-  
triæ, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens. In quo dubitatio  
non est, quin recte vereque iudicaverit Seneca, Philosophus ille olim celeberrimus. Principes enim,  
vt Simonides apud Xenophontem præcepit, debent existimare, ciuitatem suam domum, ciues vero  
propinquos, amicos aut filios: & filios velut animum suum. Quemadmodum autem honorificum  
illud & amabile Patris Patriæ nomen, principibus, regibus & imperatoribus tribuebant eo confilio, ut  
tam meritis eorum justa præmia darent, quam officia ciuibus debita in memoriam iis reuocarent; ita  
& monere voluerunt ciues, vt quemadmodum pietatem Deo, pietatem patriæ, pietatem parentibus,  
quos natura dederit, deberent; ita etiam Principi, tanquam parenti publico pietatem, amorem, obse-  
quiumque præstarent. Cum enim omnis amor tunc denum verus & perfectus sit, si, quo tuo amore  
dignos judicas, te non minori amplectuntur amore, quam quo tu eos dignatus es: principes etiam  
Patriæ Patres cum ciuibus suis, tanquam parentes cum liberis viuentes, jure suo, pietatem, amorem,  
obsequiumque ciuium postulare possunt. Cuius rei exemplum nobis præbere possunt Romani,  
eorumque Imperatores, quos Patrum Patriæ nomine ornarunt. Ex innumeris iuuat vnum & idem  
alterum adduxisse exemplum. Cui ignota sunt Augusti in rempubl. Romanam merita, paternusque  
in ciues amor? Quem fugit, Titum, qui deliciæ generis humani dictus est, non modo principis sol-  
licitudinem, sed & parentis affectum unicum præstisset? Quis ignorat, Nervam, venerandum illum  
senem, nomine principem, mente vero parentem fuisse? Cui lectio Plinii non in memoriam revocat  
exemplum Trajani, quem prædicat, cum ciuibus suis quasi cum liberis vixisse? Agnoscis, inquit,  
agnosceris: eosdem nos, eundem te putas, par omnibus & hoc tantum ceteris major, quo melior.

Ait cur rem tam alte repeto, cur exempla principum, vere Patrum Patriæ ex antiqua illa Romani  
Imperii historia conquiro, cum patria, cum temporanofra, suppeditent nobis illustrissima Patrum Pa-  
triæ exempla. Quis enim, quofo, in Principum Saxoniorum historia tam insignis hospes ac peregrin-  
nus est, quin sciat, singuli plane DEI beneficio, Saxonæ nostræ inde ab antiquissima memoria usque ad  
tempora nostra præfuisse principes, optimo jure Patrum Patriæ nomine insigniendos. Quis tam hebetis  
ingratique animi est, quin AVGSTOS, quin FRIDERICOS nostros Patrum nomine dignos judiceret?  
Horum enim amor in ciues non erat mediocris, aut obscurus, aut ejusmodi, ut longa demonstratione  
indigeat, quin potius integerimus, planeque singularis, non hunc vel illum tantum, sed omnes & fin-

X 338 8095  
gulos felices cupiens. Quum enim omni tempore animo secum perpendarent, se non tantum esse homines, pares omnibus, & hoc tantum ceteris majores, quo meliores, sed etiam hominibus praesae, qui eorum auxilio, potentia, consilio & tutela opus haberent, fieri non potuit, ut unquam amorem, humanitatem manuferudinemque deponerent, ut potius miti imperando ratione declararent, se magis ad condonanda ciuium peccata, quam vindicanda esse proclues. Sumserunt tamen etiam justas a seculatis poenas, injuriasque ab aliis illatas, depellere, penitusque coercere studuerunt. Hinc etiam bella, quidem nunquam temere provocarunt, ad defendenda tamen Saxonum iura, non timuerunt: rati veram stabilemque pacem, sapissime non nisi armis comparari & conservari posse. Interim pacem semper bello longe praelulerunt, melius arbitrati, unum ciuem seruare, quam eius interitu palmas quam maximae gloriofas acquirere. Quo sapienti mitique imperio ciuium amorem, eos sibi conciliasse maximum, non est quod miremur. Cives enim, suos AVGUSTOS, suos FRIDERICOS cum aliis vel maximis Regibus comparantes, luculentissima semper documenta magnitudinis praestantiaeque suorum Principum, sive felicitatis inueniebant. Quae cogitatio, quaue persuasio iis verum erga Principes suos amorem & inspirabat & in iis alebat: quo confirmati & bona & salutem maxima cum voluptate pro salute patriæ, pro salute principum, difficillimis quoque temporibus offerre non dubitabant. Facilius sive videbatur Solem a cursu suo, quam Saxones a fide principibus data dimouere. Omnes præsente AVGUSTO, præsente FRIDERICO, laeti; absente vero AVGUSTO, absente FRIDERICO tristes inveniebantur. Hinc confuebat undique aceruatim turba, appropinquante loco cuidam AVGUSTO; deerant loca spectatoribus cum FRIDERICVS, optimâ Spes Patriæ, Deliciae Saxonum, per urbem, per vicum transire: difficillima olim anni tempestate, celo quam maxime frigido ante aedes stabant mulieres, infantes parvulos ulnis ferentes, ut FRIDERICVM & Bavaria cum Augustissima Conjuge, redeuntem uiderent, suisque liberis digito quasi monstrarent, hos esse, qui pacem, cum pace fecunditatem, abundantiam, fertilitatemque essent allaturi, hos esse, posteris temporibus omnes Saxones felices, beatos, fortunatosque reddituros. Quo major autem, Saxonum ergahos principes suos, erga Patres Patriæ amor fuit, eo acerbior nunc iis tristitia obuenit, quam ex utriusque obitu, tam FRIDERICI AVGUSTI, quam in primis FRIDERICI CHRISTIANI percipiunt. Quare iure meritoque moeret Germania, luget Polonia, tota Saxonia senio confecta est. Omnes, illos dies nefastos, atroque carbone notandos putant, quibus summi isti principes nobis erupti, maximum sui desiderium in ciuium animis reliquerunt. Quanquam autem ex oculis nostris effugerunt, Principes de Saxonia, de genere humano immortaliter meriti; nunquam tamen eorum memoria, qua animis nostris tam tenaciter infixa hareret, ut nulla unquam obliuio, res neque secundae neque aduersa, eam sint deletura; nobis effugiet. Videntur, semperque viuent legibus institutisque immortalitatis memoria dignissimi. Et quemadmodum eos, quam diu inter viuos fuerunt, omni pietatis cultu, amore integerrimo, prosecuti sumus; ita etiam iis mortalitate deposita, omni tempore animos pietatis ac amoris plenos dicabimus. Quam ob causam etiam Schola nostra constituit, suam pietatem, gratumque animum habendis quibusdam orationibus, his piis Manibus consecratis, declarare. Auctoritate autem Amplissimi huius utriusque Vrbis Senatus, geretur tota res in Curia Senatoria ita, ut ego quidem Schola rector, hunc actum oratorium oratione, Diuo AVGUSTO FRIDERICO que Nostro sancta incipiam; quo facto, quinque, & humanitate & diligentia conspicui, disciplinae nostræ Alumni perbreues habebunt, huius rei accommodatas orationes. Dictruri sunt autem hoc ordine:

- I. Christianus Fridericus Glafewaldus, Dresd. demonstrabit sermonem latino, Principum memoriam pie esse colandam;
- II. Christianus Fridericus Kretzschmarus, Dresd. carmine epico docebit, virtutem Principi in primis esse commendandam;
- III. Carolus Fridericus Gottlob Stoermer, Dresd. orationem latam eaque proficiac docebit e Plini Paneg. C. V. eas esse rerum humanarum vices, ut ex secundis aduersis ex aduersis secunda nascantur;
- IV. Joannes Augustus Brüel, Dresd. orationem latinam habebit in sententiam Plini C. II. Principum esse cogitare, se esse bonimes, boniibus praefesse: Tandem
- V. Christianus Fridericus Conradi, Stolzenfels, recitarib[us] orationem gallico sermone scriptam, qua demonstrabit e Plini Paneg. C. XVI. Regum esse, nec timere, nec provocare bella. Adeste igitur, qui placide defunctos Patres Patriæ nostra deploratis, frequentique vestra praesentia demonstrate, Vos AVGSTVM FRIDERICVMque Nostrum, ut viuos, ita & mortuos omni pietatis cultu, amoreque integerrimo prosequi. De quo, quamquam non dubitamus, tamen more recepto, VIRVM Magnif. Summeque Venerab. huius Scholæ Ephorum, Grauiissimos utriusque Vrbis Senatores, Reuer. verbi diuinis Ministros, omnesque huius Scholæ Patronos & Fautores, submissis rogamus precibus, ut Actum Nostrum sua praesentia honore velint. Scripsi in Schola Novae Vrbis ad Dresd. d. x. Febr. CICLOCLXIII.

L. 11; 39.

Vd  
2036

# *IVSTA FVNEBRIA*

# SERENISSIMIS ET POTENTISSIMIS PRINCIPIBVS, AC DOMINIS,

# D O M I N O

# FRIDERICO AUGUSTO III,

# REGI POLONIAE, ET ELECTORI SAXONIAE,

RELIQVA

ET

# D O M I N O

# **FRICO CHRISTIANO,**

REG. POL. ET ELECTORI SAXONIAE,

# RELIQVA

S P A T R I A E N O S T R A E  
N D V L G E N T I S S I M I S ,

IA SENATORIA NOVÆ VRBIS  
AD DRESDAM

XIII. FEBRVARII CICLOCCCLXIII. HORA II.

GRATISSIMO ANIMO PERSOLVENDA.

## NOS ET FAUT

Digitized by srujanika@gmail.com

#### INVITATION

TIANVS FRIDERICVS OVELLIVS.

**RECTOR.**

FRIDRICOSTADII,

POGRAPHEO HAGENMULLERI.



The image shows a color calibration chart (Farbkarte #13) used for color management. It features several color patches in Cyan, Magenta, Yellow, Red, White, and 3/Color. On the left, there is a vertical scale for Centimetres (0 to 8) and Inches (0 to 1). The right side has a vertical scale for B.I.G. (Black Ink Gradient) and a horizontal scale for Black.